

VERSUS 35.

Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

1. — Theophylactus notat, ideo S. Matthæum prophetici oraculi fecisse mentionem, per quod modus, quo Christus populus docturus erat, prædictus fuit : « Ne te putes Christum invenisse novum quemdam docendi modum. »

2. — S. Anselmus ait : « Eructabo, id est, de thesauro secreti mei emittam in prædicatione

« mea mysteria, quæ abscondita erant a constitutione mundi. »

3. — Theophylactus scribit, Evangelistam hisce verbis innuere voluisse, Christum revelaturum nobis esse mysteria cœlestia : « Mysteria quæ in cœlis sunt. » S. Paschasius in probationem propositionis hujus Evangelicæ sequenti textu utitur : *Inclinatæ autem vestram in verba oris mei, apertam in parabolis os meum*; « non enim ait : *erigite*, sed *inclinatæ* humiliter aurem vestram, ut intus, quod sonat, non sono vocis, sed auditu mentis, sacramentum divini verbi intelligatur, quod absconditum fuit ab initio sæculi, et præfiguratum in Scripturis sacris. »

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XX, VERS. 1

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.
2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis :
4. *Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis ; illi autem abierunt.*
5. Iterum autem exiit circa sextam, et nonam horam, et fecit similiter.
6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi.
7. Dicunt ei, quia nemo nos conduxit ; dicit illis : *Ite et vos in vineam meam.*
8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : *voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.*
9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.
10. Venientes autem et primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem et ipsi singulos denarios.
11. Et accipientes, murmurabant adversus patrefamilias, dicentes :
12. *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus.*
13. At ille respondens uni eorum, dixit : *Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum ?*
14. *Tolle quod tuum est, et vade ; volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi.*
15. *An non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*
16. Sic erunt primi novissimi, et novissimi primi : multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

VERSUS 1.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

1. — Certum est, uti bene hoc loco Jansenius, *Conc. Evang.*, citat, observat, Christum in hac parabola in

regno Ecclesie suæ, Gentiles præferre voluisse Judæis ; simulque innuere, quod, qui hic contempti et postremo in loco habitati sunt, in cœlo obtenturi sint primas sedes, et contra, qui hic in pretio et æstimatione habentur, illine futuri sint postremi. Estque advertendum, inquit idem Auctor, quod Christus hanc parabolam posuerit, postquam « in regno Dei conjungendas Patriarchis, filios

« autem regni expellendos foras, » prædixisset. Porro per *Regnum cœlorum* « intellige ipsum in « utroque statu, » inquit Cajetanus, « vim scilicet « et termini ; nam operari spectat ad regnum cœlorum in hac via, merces vero ad idem in termino. »

Homini patrifamilias.

2. — Glossa dicit : « Pater iste familias Conditor « noster est, qui habet vineam universalem Ecclesiam, quæ ab Abel usque ad ultimum electum, « qui in fine nasciturus est, quotquot Sanctos « protulit, ut palmites misit. » Auctor Imperfecti hæc Christi verba exponens ait : « Homo paterfamilias Christus est, cui cœli et terra quasi una « est domus. » Porro Cajetanus rationem reddit, cur Deus, cum omnium creaturarum Pater sit et Dominus, nihilominus unius duntaxat familie Pater nominetur : « Licet Dominus sit omnium, respectu « tamen electorum Patrefamilias se exhibet, quoniam sunt domestici Dei. »

Qui exiit.

3. — Cajetanus ait : « Exire Dei est operari ad « extra. » Dionysius Carthusianus dicit : « Exiit non « locum mutando, sed aliquid de novo operando « suamque gratiam effundendo. » Porro ad hominem redimendum in propria persona venire voluit : *Ego veniam, et curabo eum*, non vero ad hoc servos suos misit, licet in Hierarchiis Angelicis innumera-hiles recenseret servorum suorum myriades : *Ministri ejus, qui faciis voluntatem ejus*. Equus autem, inquit Paulus de Palatio, mysterium verbi istius *exiit*, pro dignitate sufficienter explicare poterit ? « *Exiit Deus*. Unde exiit, qui omnia implet ? Licet « dicere : Exiit ex se, ut intret in te, imo ut te con- « vertat in se : ut enim Verbum exiit a Patre, et « venit in mundum, ut deificet mundum, exiit, « inquam, quia deiecit se et humiliavit se, ita « Pater exiit velut a se, velut a sua majestate, ut « inhabitet in te. » Notandus quoque locus est, ad quem hic paterfamilias exiit, nimirum in publica platearum compita : « Exiens venit in forum. Quid « te, o Domine, movet, ut e loco pacis, lucis, sanc- « titatis, venias in locum tumultus, in regionem « umbræ mortis, in locum horroris et vastæ solitu- « dinis ? »

Primo mane.

4. — Non expectat, donec operarii ad illum veniant, hi enim, ad laborandum in hac vinea, nunquam se loco moturi essent, nisi adinvitarentur. *Joan.*, vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Quando nos nostre salutis omnino oblitii, somnolenti et otiosi stetimus, Deus nos summo mane et primo diluculo, ut vigilemus, et excitati, labori nos accingamus, invitat.

Rom., xiii, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Unde idem Deus, *Apoc.*, iii, 20, dicit : *Ego sto ad ostium, et pulso*; ab ipsis primis ætatis nostre annis lumen naturale, dictamen recte rationis, remorsum et synderesis conscientie nostre nobis imprimit : *Ubiinquit omenem hominem venientem in hunc mundum. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quodsi igitur se quoad salutem nostram promovendam adeo sollicitum exhibet, quanto magis in nobis pigritia nostra reprehendenda erit ? Ipse nos excitat, ipse ad oculos sopore plenos luci aperiendo invitât, idque tunc vel maxime, quando nostri ipsius oblitii, et in vitiis lethargo sepulti sumus. *Joan.*, iv, 19 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*.

5. — Glossa interlinearis dicit : « Prima hora « est ab Adam usque ad Noe ; circa horam tertiam, « a Noe usque ad Abraham ; circa sextam, ab « Abraham usque ad Moysen ; circa nonam ho- « ram, a Moysese usque ad adventum Domini ; circa « undecimam, ab adventu Domini usque ad finem « mundi. »

6. — Albertus Magnus per mane pueritiam intelligit, per horam tertiam, juventutem ; per sextam, virilitatem ; per nonam, senectutem ; per vesperam vero, decrepitam ætatem interpretatur. Estque hæc doctrina S. Hieronymi a Glossa citati, dicentis : « Mane intellectus nostri pueritia est ; hora tertia, « adolescentia, quia jam sol in altum proficit ; « sexta, juvenus, cum plenitudo roboris solidatur ; « nona, senectus, quando sol, id est, calor ætatis « discedit ; undecima, decrepita ætas : in omnibus « his aliquid ad bonam vitam perducat. »

7. — Ab hoc bono patrefamilias, omnes, quibus gubernandæ domus sollicitudo, aut cura publica incumbit, vigilare discant. Sancta Mater Ecclesia in quodam Invitatorio Matutini per longum tempus hisce non verbis invitât : « Non sit vobis vanum « mane surgere ante lucem, quia promissit Domi- « nus coronam vigilantibus. »

Conducere operarios.

8. — Nulli inferat violentiam, ut laborandi causa vineam suam adeat ; siquidem Deus vult, ut per arbitrii nostri libertatem operemur, ideoque ad divinum servitium suum non coactos, sed ultroneos et voluntarios requirit : *Voluntarie sacrificabo tibi*, dicebat David, *Psal.* xxxiii, 8. Cajetanus ait : « Con- « duere autem Dei est, sub spe præmii inducere « homines : *Inclinavi cor meum ad faciendas justis- « ficationes tuas, propter retributionem.* »

9. — Chrysostomus ait : « Mercenarii sumus ; « mercenarius sine opere esse non potest, opera « autem nostra sunt opera justitiæ ; » quasi diceret sanctus hic Doctor : Character ille servorum et operariorum magis hujus patrifamilias non ideo nobis

impressus est, ut agros, vineas et prœdia manu et aratro excolamus, tametsi idipsam sine ejus offensâ facere possumus, hæc non sunt illa opera et labores illi, ad quos ipse nos invitat et vocat. Theophylactus hoc loco dicit: « Unumquemque conduxit ut operetur vineam, hoc est, animam suam; » ac proinde Albertus Magnus per hanc vineam Ecclesiam intelligit: « Vineam est Ecclesia militans, vites « fideles in Ecclesia plantati. » Chrysostomus similitudinem operariorum et mercenariorum prosequens considerat, quod nullus in vineam sub stipendio conducatur ad hoc, ut ibi tantum manducet et bibat, sed præcipuus conductionis finis sit, ut ibi labore: « Sic nos non ideo vocati sumus, ut hoc « solum operemur, quod ad nostrum pertineat « usum, sed ad gloriam Dei; et sicut mercenarius « totam diem intendit circa opus, modicam horam « circa cibum; sic et nos debemus omne tempus « impendere circa gloriam Dei et modicam partem « circa terrenos usus. »

10. — Per operarios illos quoque intelligere possumus, qui in vita præsentis laborant; siquidem, *Job.*, v, 7, homo nascitur ad laborem et avis ad volatum. Unde David, *Ps.* cxvii, 2, dicebat: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit.* S. Gregorius illum Jobi textum: *Homo ad laborem nascitur et avis ad volatum*, exponens dicit: « Quia inde mens ad summa volat, unde caro durius « laborat. »

In vineam suam.

11. — Jansenius, *cap.* c, dicit: « Ecclesiam « scilicet Sanctorum, quæ in Scripturis per vineam « sæpe significatur; ut: Vineam de Ægypto trans- « tulisti, ejicisti gentes et plantasti eam. » In hac vite, prout tot sæculorum experientia nos docet, tot operarii, Confessores, Martyres, Virgines, Doctores, Theologi, etc., laborarunt. « Excolunt autem eam, « quotquot doctrinæ aut vite exemplo alios ædifi- « cant, aut sue saltem animæ curam gerunt, ut « fructum bonorum operum edant. » Idem quoque observationem quamdam instituit valde præclaram, omnibusque Christianis scitu valde necessariam; dicit enim: « Notandum, quod in vineam Domini « nemo vocetur, nisi ut in ea sit operarius; nec « quisquam in eam venire possit, nisi vocetur. »

12. — Per vineam quoque, animam nostram intelligere possumus, ac proinde huic Deus apud Jeremiam dicit: *Ego plantavi te vineam electam.* Terra hujus vineæ hoc corpus nostrum dici potest; vites autem potentie, donâ et virtutes; vinum, amor et dilectio Dei et proximi; sepes vineam istam circumdant, custodia est angelica; ad hanc vineam excolendam multos conduxit operarios, Predicatores nimirum, confessarios, libros sacros et spirituales; porro hæc vite celestis agricola sæpe putat seu præcidit ferro tribulationum et

adversitatum; easdem ad palum crucis ligat, per seriam quamdam passionis suæ meditationem; fossas quoque circa easdem fodit et excavat, per mortis nostræ frequentem memoriam, eamque ab apris et feris infernalibus defendit, ne de illa dici possit: *Exterminavit eam aper de sylva.* Hic igitur paterfamilias huic vineæ in veritate dicere potest, *Isa.*, v, 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineam meam et non feci?* Id vero, quod immediate sequitur, comminatio quædam est, ad quam merito quævis anima hominis omnino contremiscat, nimirum: *An quod expectavi ut faceret vas et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego factam vineam meam; auferam sepe ejus et erit in diræptionem, diruam maceriam ejus et erit in conculcationem.*

Additiones.

a. — *Simile est regnum celorum homini paterfamilias, etc.* Multas Christus Dominus propositit parabolâs, ut illis nobis declararet regnum celorum, utque bene totius regni celestis constitutio nobis declararetur, voluit tot tamque diversas parabolâs proponere, idque per se, tanquam per illum, per quem illud optime proponi et declarari posset. Coelestis enim gloria nec verbis exprimi, nec intellectu humano capi potest. Dicit enim Apostolus, *I Cor.*, ii, 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus his qui diligunt illum.* Quæ verba Doctor Seraphicus, *Serm.* ii de Angelis, considerans ait: « Tam ampla, tam « alta, tam innumera sunt illa bona, ut omnem « excedant humanum intellectum, humanum audi- « tum et omnem animi cogitationem. » Poterint inter omnes sacros Doctores, intellectus aliquis sublimior aut perspicacior reperiri, quam fuit ille S. Augustini. Hic tamen, *Serm.* i de verb. Apost., scribit: « Qualis autem sit hæc gloria futura, et « quibus divitiis floreat, quantoque splendore præ- « fulgeat, laudare possumus, explicare non possu- « mus. Quare? Quia legimus: *Nec oculus vidit, « etc.* » Alibi pariter hanc eandem veritatem tradit his verbis: « Bona regni celestis dicere, vel « cogitare, vel intelligere ut sunt, nullus potest « carne vestitus, multo enim majora et meliora « sunt, quam cogitantur et intelliguntur. »

b. — Notandum est non solum hic exprimi hominem, sed etiam dicitur paterfamilias, et ratio est quia cum homo, juxta Jobi sententiam, natus sit ad laborem, ex proprio nomine, laborem significat; paterfamilias vero vigilantiam et curam, ex qua prorsus habetur, quod cum homo laborem significet, paterfamilias vero vigilantiam, insinuat in præsentem hunc hominem patremfamilias optime designare Prælatos ecclesiasticos, qui non tam ad dominium quam ad laborem et curam subditiorum vocati sunt. Dicit enim Dominus noster, *Matth.*, xx, 26: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit*

vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Unde Origenes, *Hom.* vi in *Isa.*, de his verbis Christi utens, dicit: « Qui vocatur « ergo ad episcopatum, non ad principatum voca- « tur, sed ad servitium totius Ecclesiæ. » Auctore Innocentio III: « Non immerito Hieronymus, ut « pestem quamdam fugiendos clericos ait, qui a « splendorum domorum paternarum abstracti, et post « in Ecclesia sublimati ac sacerdotiis dilati, vanæ « gloriæ et superbiæ stimulis efferruntur. »

e. — Homo dicitur ille qui exiit, ob humanitatem et clementiam, ut notat S. Hieronymus, in *Matth.*, xxii. Paterfamilias vero appellatur ob curam et sollicitudinem erga totam suam familiam. Ita Deus adamussim de omnibus habet curam et providentiam, ut sollicitus paterfamilias de sua domo ac de omnibus ad illam spectantibus. Propter nos omnia fecit; neque enim necessitatibus tantammodo nostris provisorum est: usque in delicias amatur. Dicit Psalmista, *Psal.* vii, 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universos, insuper et pecora campi; volucres cæli et pisces maris, qui perambulant semitis maris.* S. Augustinus, de dil. Deo, scribit: « Quid « tibi dedit, o anima mea, Sponsus tuus? Respice « universum mundum istum et considera si in eo « aliquid sit quod tibi non serviat. Omnis creatura « ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis « tuis famuletur et utilitati deserviat, tuisque « oblectamentis pariter et necessitatibus, secun- « dum affluentiam et deficientiam occurrat. » Optime Tertullianus ait quod « Homo curæ sit « divini ingenii; » quod verum esse Deus ipse testatur, dum ait: *Quid ultra potui facere et non feci?*

d. — *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Syriacus habet: *Summo diluculo.* Bonus certe paterfamilias, qui non misit servos suos vocare operarios, sed ipse per se ad forum exiit, maxime vigilans super vineam suam, ut eam bonis repleat et a malis custodiat. Paterfamilias hic Deus est; vinea autem anima hominis, cui conservandæ et omnigenis virtutum fructibus exornandæ, Deus maxime gratis et auxiliis assistit. S. Gregorius Nazianzenus discursum suum ad animam christianam dirigens, inquit: « Agnosce unde habes quod « sis, quod spes, quod ratione ac mente utaris, « quodque maximum est, quod Deum cognoscas, « celorum regnum spes, honoris æqualitatem « cum Angelis, gloriæ contemplationem, nunc « quidem in speculis et ænigmatibus, tunc autem « pleniorum ac puriorum, quod Dei filius, Christi « coheres, atque, ut audacter loquar, Deus etiam « factus sis? Unde tibi hæc omnia et a quo? » Spiritus illi beati, etiam sublimissimi, divino assistentes throno, a Deo ad servitium nostrum obligantur in terras. Ita Archangelus Raphael dux obtigit Tobie itineranti; similiter S. Michael, celestis

militiæ Princeps, in columna nubis populum Israëliticum comitabatur; S. Gabriel in exile Nazaretano tugurium descendit, ut de incarnationis Verbi mysterio tractaret. S. Laurentius Justinianus ait: « Illo ordinante, illo jubente atque dominante, tibi « serviant Angeli, ministrant Archangeli, univer- « sæque colorum obsequuntur virtutes, tuam qua- « rentes salutem, tuum cupientes profectum, tuam « beatitudinem anhelantes, et neque ex his te con- « vertis ad illum, qui sua bonitate antequam esses, « se convertit ad te. »

e. — Cum dicitur quod paterfamilias exiit conducere operarios, ex ipso verbo *conducendi*, aperte denotatur, vocatos esse ad excolendam vineam, non vero ad delicias aut suis commoditatibus vacandum. Unde S. Chrysostomus, in *Imperfe. Hom.* xxxiv, inquit: « Scitote quia mercenarii sumus conducti. « Sicut ergo nemo conducit mercenarium, ut hoc « solum faciat quod manducet, sic et nos non ideo « vocati sumus a Christo, ut hæc solum operemur « quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam « Dei. » Et hoc profecto tot tantaque merentur Dei in nos beneficia, ita ut quandoquidem omnis creatura Deo gratitudinem exhibere obligata sit, multi tamen magis ad hoc tributum persolvendum nos obligamur. Ad quod dum insufficientes sumus, ipse nobis auxilium præbet, nosque plurimis Evangelii exemplis adhortatur. S. Augustinus, *Modit.*, xii, dicebat: « Oportet me, Domine, tanto magis tibi « gratus et devotum, promptiorem ad servien- « dum existere, quantum mo de tantis beneficiis « obligationem conspicio in reddenda ratione. » Verum quidem est, quod ad reddendas tanto benefactori condignas gratias, lingua nostra minime sufficit, veruntamen hæc insufficientie nostræ agnitionem Deus libenter gratiarum actionis loco acceptat. Unde idem S. Doctor alibi dicit: « Et « tamen cum de illo nihil digne dici possit, admisit « eliam humanæ vocis obsequium, et verbis nos « tris, in laude sua gaudere nos voluit. »

f. — S. Paschasius, *lib.* ix in *Matth.*, pulcherrime scribit: « Omnes in hac vinea operarii esse debent, « quia nemo est, etsi non alios, qui seipsum exer- « cere et excolere non debeat, ut fructum ferat in « Christo, et in vile maneat. » Nullus in hac vinea, id est, Ecclesia, ab operatione eximitur, etiamsi sit claudus, pusillus, femina ac senex. Quilibet maxime debet esse operans in cultura sui animi, in expurgandisque illius vitis, ac peccatorum vepribus eradicanis, ne si otio se tradiderit, de patrifamilias contubernio ejiciatur in tenebras exteriores. Pro quo malo avertendo, optimum est consilium Davidis, ut infertur descendant viventes: ponarum etiam æternarum consideratio, in divino servitio et cultura vineæ Domini servientes, diligentes efficit. Psalmista, his verbis, *Psal.* lxxv, 16: *Descendant in infernum viventes*, orat pro malis ut convertantur.

Ubi notandum quod inter alia quæ peccatorem movent ad conversionem est meditatio peccatorum inferni.

Michael de Bononia assignans differentiam inter eos qui mortui ad infernum descendunt et inter alios qui eo vivi immigrunt, dicit : « Illi in infernum mortui descendunt, qui post mortem damnati, in inferno cruciantur; illi autem vivi descendunt, qui hic viventes mentem inclinant ad ipsum « meditandum. » At cum ista aternarum peccatorum contemplatio maxime idonea sit efficere, ut eas evadamus; quæ hæc hominum insania, tam raro aut fortasse nunquam, rem tanti ponderis, cui cætera si comparentur, nihil sunt, in consilium non adhibere?

Guillelmus Parisiensis spiritualem quamdam qua suggestionibus inimici nos opponere debeamus praxim exhibet, in verba sequentia : « In illo igne « sempiterni ardoris, ardores concupiscentiarum « extinguo. In omni æstu tentationum mearum, « fornacem illam infernalem, refrigerium mihi « facio; et quod est mirabilis, ab illa fugiens, ad « illam fugio. Quantum ab illa fugio, tanto ipsa est « mihi fortius refugium atque securus. Quanto « enim illam magis timeo, tanto ab illa magis « securus sum. »

g. — Si illa est sollicitus paterfamilias, ut primo mane consurgat Dominus ad vocandos homines, profecto his magis incumbit, ut diligentes sint, necnon voci divinæ obediens, salutemque procurent, et non differant penitentiam et confessionem ad ultimam usque vitæ horam. Raritas enim confessionis peccatum inveterat in anima. Volens David scelus occultare illius, quod cum Bethsabea perpetrarat adulterium, Uriam revocavit ab exercitu, ut hic dormiret cum uxore sua; quod dum non assuequitur rex, morti dedit Uriam, multo exinde tempore adhuc in culpa perseverans, donec tandem ex Dei jussu a Nathan correptus fuit; tunc siquidem internum assecutus lumen, penitens irreparabilia silentii et taciturnitatis suæ dispendia meditari cepit et ingemiscere : Heu me miserum! *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.* Porro varias citati Psalmi xxxi, 3, versionibus, apud Sanctos Patres reperio interpretationes. *Quoniam tacui*, inquit S. Hieronymus, id est, « non protuli confessionem ad salutem. » S. Augustinus ait : « Quoniam tacui « confessionem. » Interlinearis ait : « Quoniam « tacui confessionem de peccatis. » Presentissimum desperatæ salutis est indicium, si quis infirmus, aut vulneratus, suum Doctorem aut Chirurgo, abscondit malum. Albertus Magnus ex dicti versiculi verbis, colligit statum infortunatum muti peccatoris : « Exprimit statum non confitentis infelici « cem. »

Dificilem reputabant fratris Lazari resuscitationem Maria et Martha, non nescientes miraculum

circa filium viduæ et filiam Archisynagogi a Christo faciliter perpetratum : ast ecce adductam ab eis rationem : *Quadragesimus est, jam fatet.* Lazarus iste animam denotabat peccato inveteratum : *Inveteraverunt ossa mea;* unde et resuscitatio Lazari inter admirabiliora Salvatoris opera connumeratur, studiose ad vitæ terminum dilata in evidentiis divinitatis argumentum.

h. — Quia nos conducit paterfamilias, operarios et misit in vineam suam, quilibet debet esse operans in cultura sui animi, ne si otio se tradiderit, de patrifamilias contubernio ejiciatur in tenebras exteriores. *Regnum enim celorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* S. Augustinus in sermone quodam, per hanc violentiam bellum intelligendum esse dicit, quod nobismetipsis a nobis indicendum est, ut de passionibus et inordinatis appetitibus nostris, victoriam gloriose reportemus : « Novimus quia familiariter mens humana in diversis hujus mundi illecebris, et concupiscentiis « devicta, fugit laborem, expetit voluptatem, et vix « adducitur ut consuetudinem a se vitæ prioris « excludat. Sed cum cœperit cogitare ultimæ diæ « necessitatem, ac futuri iudicii pondus, incitata et « stimulatâ vel spe præmiî, vel timore supplicii « voluntarium bellum indicit passionibus et vim « facit pristinis suis desideriis et violentis se vincere ipsa contendit, non enim sine violentia fieri « potest ut de abundantia et deliciis, ad famam et « sitim, et abstinentiam transeat et cruceum, ut « somno prius, atque otio animam carnem, contritione vigiliisque conficiat; non inquam sine violentia fieri potest, ut unusquisque iracundiam « patientiam, superbiam humilitate commutet, amore « paupertatis divitiarum ac sufficientiæ affluentiam « superet, violentiam sobrietate, luxuriam castitate « condemnet et homo subito in virum transformetur perfectum, et quodammodo alter reddatur « ex altero : et sic a talibus per violentiam regnum « celorum diripitur. »

i. — Non absque singulari mysterio ministros vineæ, qui sunt Prælati, operarios nominat paterfamilias; talis enim quisquis esse debet, quem S. Paulus requirit, II *Tim.*, II, 15, dicens : *Qua te ipsam probabilem exhibere Deo operarium inconfutabilem.* Nam si in vinea sint male herbe et palmites neglecti, culpa conjicitur in operarios, qui habent curam colendi eam : ita defectus et peccata subditorum attribuantur superioribus; ex quo patet gravitas oneris, quod honores secum afferunt. Et ideoque multi sancti fugiebant sincere dignitates.

j. — S. Paschasius, *lib. IX in Matth.*, in citatum hunc Evangelii textum sic scribit : « Omnes simul « qui vocantur ad vineam, una Ecclesia sunt unaque « vinea de vite, quæ Christus est, propaginata; in « qua et ad quam, qui intrat vel qui conducitur, « nemo otiosus, sed omnes operarii esse debent. »

Vinea hæc est Ecclesia; sed in hac multi sunt qui fodere non valent, putare nesciunt. Nonne in hac vinea commemorantur claudorum bona pars? Egrotantium copiosa messis? Nonne multi sunt senes femine ac pueri qui molibus vestiuntur, in domibus regum? Quomodo ergo nulli intrabit otiosus, sed operarii esse debent? Sic pergit citatus Paschasius : « Omnes operarii esse debent, quia nemo est, qui « seipsum exercere et inexcitare non debeat, ut « fructum ferat in Christo, et vite maneat. » Nullus in hac vinea ab operatione eximitur, etiamsi sit claudus, pusillus, femina, ac senex; quilibet maxime esse debet operans in cultura sui animi, in expurgandis illius vitis, ac peccatorum veribus eradicandis, ne si otio se tradiderit, de patrifamilias contubernio ejiciatur in tenebras exteriores. Trepidus enim et odiosus Deus maledictionem; et mortem æternam aliæque mala comminatur. Albertus Magnus dicit : « Ex aecidia eveniunt multa mala; præceptum Dei negligit, maledictionem Dei incurrit : « exemplum de ficu cui Dominus maledixit quia « folia tantum habuit. » Quando sarmenta vitis infœcunda sunt, rescinduntur et rescissa, ad nihil aliud serviunt quam ad ignem. Unde apud Ezechielem, xv, 2, dicitur : *Quid fiet de ligno vitis, ex omniabus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum? Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus? Sed subtrahitur de ea pascuis. Ecce igni datum est in escam.* Vites autem inutilis et ligna infructuosa symbolum sunt negligentiæ qui destinantur ad flammam.

k. — Cum homo produceretur inter cætera visibilia opera, ut creatura rationalis, ad imaginem et similitudinem Dei, tota sancta Trinitas ostenditur operans : *Faciemus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ut ex hoc homini fiat documentum quod si Deus ut infunderet imaginem suam homini, nulla divina persona se habuit veluti in otio, sed omnes fuerunt in operatione, sic etiam homo ad ipsam imaginem Dei in se conservandam per gratiam et justitiam nunquam debet esse in otio, sed semper in labore. Dæmon enim in aecidiis et otiosis, centrum suum invenit, utpote qui in propriam suam perniciem tentationibus ejus cœsum aperiant, adversus quem nullum est potens remedium, quam pigritiæ expulsio. S. Joannes Climacus ait : « Tribus modis vel maxime generalibus bello nos diaboli oppugnat : negligentia, « superbia et sua ipsa invidia. » Ubi vides inter tria hæc pigritiæ et aecidiæ primatum tribui.

VERSUS 2.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

Conventione autem facta cum operariis.

1. — Jansenius optime hic considerat, solos

primos cum patrefamilias de mercede pacisci voluisse, alii vero omnes ad ejus se liberalitatem remiserunt; hos autem « recto intelligitur significare « care Judeos, quos constat veluti mercenarios Deo « servisse; » siquidem in multis Veteris Testamenti locis divinæ revescentur promissiones de pro servitio Deo præstando locupletandis, bonisque terrenis liberaliter remunerandis; non vero ita Gentiles fecerunt, qui potius ad gratiæ Evangelicæ beneficentiam sese remiserunt, ac proinde ex beneficio divino digni reputati fuerunt, qui in locum populi antea electi substituerentur. Hunc eundem conceptum etiam apud Paulum de Palatio sub hisce verbis invenietis : « Patres illi antiqui, si operabantur, « promissa habebant bona terræ quæ comederunt; « at vero Christiani, qui ultimi operarii sunt, non « propter bona terræ operantur. Adde et illud magnum : tanta est vis gratiæ christianæ, ut etiam « si nulla esset merces æterna proposita, adhuc « Christiani Deum sum colerent. »

2. — Illo Cardinalis per hos primos, quibus cum de mercede pactum fuit, protoparentes nostros in statu innocentie intelligit : « Cum Adam pepigit, « cum cæteris post ejus lapsus non. » Cum enim post ipsorum prævaricationem tota massa generis humani corrupta et damnata fuerit, non habebat jus ad gloriam; nisi in quantum ei concedebat et donabat liberalitas divina. Demum idem Illo subjungit : « Qui tantum paratus est tribuere, quantum « mercenarii recipere non sperant. »

3. — Lyranus dicit : « Conventio ista est pro « missio vitæ æternæ pro labore. » Enimvero Deus Dominus noster est; homo autem, utpote ejus creatura, servus et mancipium illius; ac proinde Deus per illam potestatem, quam ut Dominus in mancipium et servum suum obinet, servitio ipsius uti libere potuit, et certum est quod homo nihil aliud pro suis obsequiis præstitit et præstandis preterenda poterat, præter panem et aquam, id est, alimenta ad miseram hanc vitam transcendendam necessaria; item efficere poterat, ut ad instar tot aliarum creaturarum sensitivarum, irrationalium, morentur absque eo, quod ei post mortem æternam concederet beatitudinem, maxime quando jam innumerales erant spiritus Angelici, ejusdem beatitudinis particeps; imo quando jam illum gloriæ et regni sui participem efficere dignatus fuerat, poterat regnum illud ei dare ex sola et mera liberalitate, non obstante quavis ab eo præstito assiduo et diligentissimo servitio; et tamen ad pacta cum ipso venire voluit; ideoque dum ei legem suam observandam dedit, simul etiam in præmium illius observantiæ, æternam illi beatitudinem promisit. Unde Apostolus eandem mercedem, scilicet pactam, appellare non dubitavit, dum, II *Tim.*, iv, 8, ait : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus iudex;* ideoque etiam David, *Psal.* xxvi, 4, dicebat :

Unam peti a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea. Deus igitur se debitorum nostrum constituere voluit, dummodo in hac Ecclesie suae vinea fideles et indefessi operarii simus.

Ex denario diurno.

4. — Lyranus ait: *Vita æterna dicitur denarius diurnus, qui est æqualis omnibus ex parte finis.* S. Thomas, in *Math.*, observat, monetam illam decem solidos in valore intrinseco continuisse, sibi que impressam habuisse Regis effigiem; indeque hoc sequens elicit mysterium, videlicet, quod per decem præceptorum adimpletionem, caelorum nobis regnum comparemus; item, sicut in moneta illa, imago regia expressa erat, ita quoque nos, in gloria, in virtute retributionis æternæ, similes Deo futuri simus. *¶ Cum apparuerit similes ei erimus.* I *Joan.*, III, 2.

5. — Verum enimvero, qua ratione gloria celestis denarius diurnus appellari poterit, cum dicta gloria, per hanc monetam significata, sit sempiterna, non vero diurna? Dionysius Carthusianus dicit: « Dicitur diurnus, quia propter eum quotidie laboratur et quotidie ingredientibus regnum celeste confertur, eumque mereamur in die gratiæ et accipimus in die gloriæ. » Memorandum quoque est, quod tam status gloriæ quam gratiæ, quæ illius sementem est hoc nomine denarii diurni appellatur: *Melior est dies una in atris tuis super millia;* de operibus in gratia factis, pariter Apostoli testimonium habemus, *Rom.*, XII, 12, dicentis: *Abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.*

6. — Ex alio quoque respectu æternam beatitudinem denarium diurnum appellare possumus, siquidem hæc merces non datur, nisi qui in die hujus vitæ presentis strenue laboraverit, quia ubi nox mortis supervenerit, merendi tempus amplius non erit: *Dum lucem habetis credite in lucem.* Et Christus apud Joannem, *Joan.*, XII, 35, ait: *Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.*

Allegationes.

a. — *Conventio autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam.* Cum operarii vocati ad vineam significant omnes fideles ad Ecclesiam Dei vocatos ad bene operandum et merendum, sub denario intelligitur vita æterna, ut merces assignata, ut communiter docent sancti Patres. Facile est levi præceptorum decalogi observantia hunc denarium lucrari; ex quo pena damnatorum multum augebitur ob considerationem gloriæ beatorum, de tanto amisso bono maxime dolentes. S. Bernardinus Senensis, quinam hi damnatis adeo formidabiles futuri sint conspectus, de

quibus Sapiens, *Sap.*, v, 2, ait: *Videntes turbabuntur timore horribili, fusus declarans eos consistere docet in gaudii, lætitiæ, celestisque beatorum gloriæ visione.* Maximo enim cum supplicio, « videt gloriæ beatorum, maxime eorum quos in hac « vita contempserunt, » idque sequentibus probat eodem in textu citatis verbis: *Videntes, turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii; nos insensati! Vitam illorum aestimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, et inter Sanctos, sors illorum est.* Ad hoc faciunt et hæc *Psalmi* cxi, 10, verba: *Peccator videbit et irascetur; dentibus suis fremet et tabesceat.*

b. — Christus Dominus non incongrue confert beatitudinem cum denario diurno, sciebat enim auri amorem hominum animas maxime rapere et attrahere, et dandis elemosynis retinere. Et autem ad dandas elemosynas nos excitet, pro vite æternæ præmio, cum operariis convenit ex denario, cum quandoque per denarium unum, pro elemosyna erogatum, salutis æternæ pignus nobis comparare possimus, et quisquis pro facultatibus, pauperibus subvenit, ingens salutis æternæ pignus sibi acquirit. Infinita utique erit consolatio illa quam animam in tremendo iudicii die habitura est, quando postquam justitia divina iræ suæ fulmina evibraverit, tandem serena et subridenti facie ad electos conversus, eisdem dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, hospes eram, etc.* Tunc enim ut S. Ephrem ait: Tenebit illum Christus coram Angelis et Sanctis, statuensque in medio, predicabit illum, et ostendet ac dicit: « Hic homo esurientem me pavit, recrea-

vit et cooperuit; propterea ego dico ipsi: Ego « serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini « tui et in vitam æternam. » Salvator noster, die quadam, eos intuitus qui oblationes in gazophylacium injiciebant, reliquos inter, quamdam vidit pauperulam mulierem duo offerentem minuta, dixitque: *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit.* Alii equidem divites aurum argentumque contribuerant; nihilominus spiritum ponderator Dominus hujus unius mulieris elemosynam cunctis prævalere asseruit. Ex qua historia S. Chrysostomus a S. Bonaventura citatus, in *Luce*, talem eruit conclusionem: « Nullus dicat: Non « possum elemosynas facere. Non est vidua illa « pauperior. » Quæ adeo inops erat, ut nihil penitus in hoc mundo possideret, præter dicta minuta. *Ex eo quod deest illi omnem victum suum, quem habuit, misit.* *Luce*, XXI, 4: « Egenti parum alii « quid dato: sed nihil est parvum, quod Deo datur. « Si nihil habes, collachryma, magnum remedium « est infortunato commiseratio, » ait S. Gregorius Nazianzenus, *de Cura pauper.* S. Augustinus, in *Psal.* cxxv, idem punctum his promovet verbis: « Si

« corde miseraris, etiamsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus elemosynam tuam. » Et S. Bernardus, *Epist.* lxxvii: « Deus indulanter « tribuit bone voluntati, quod defuit facultati. »

c. — Cum operarii vocati ad vineam significant omnes fideles ad Ecclesiam Dei vocatos ad bene operandum, ac merendum sub denario diurno et sub eodem intelligatur vita æterna, quæri non abs re potest, cur æterna vita sub similitudine denarii diurni proponatur? Allegorice responderi potest, cum S. Irenæo, *lib.* IV, *cap.* lxx, dicente: « Æterna « vita cum denario comparatur, quia denarius imagine Regis habet. Qui autem salvandi erunt, « conformes fient imagini Filii Dei veri Regis. » Beati enim omnes, utpote veri Reges coronati, in solio majestatis sedentes, potentes erunt in caelis. Sapiens Beatorum potentiam et dominium declarare volens, *Sap.*, III, 8, ait: *Judicabunt nationes et dominabuntur populis.* Similiter David pater ejus prius hæc re ita scriperat, *Psal.* cxxxvii, 17: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Item legitur, *Apoc.*, II, 26: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vis figuli confringentur.*

d. — S. Thomas, per denarium istum, ait significari vitam æternam. Ex eo quod denarius iste valebat denarios decem usuales, denotatur quod denarium æternæ vite promereri observatione præceptorum Decalogi, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* *Math.*, xix, 17.

e. — Queritur quomodo beatitudo, quæ æterna est, comparatur cum re diurna? Quod enim diurnum est, eras non erit; beatitudo autem si æterna non persisteret, a ratione beatitudinis omnino deficeret. Cur ergo sub nomine denarii diurni explicatur? Tam brevis volatilis ac momentanea est æterna possessio, ut beatitudo quæ essentialiter æterna est, cum sub nomine denarii, significatur, *denarius diurnus* nuncupetur. Non quod ipsa beatitudo essentialiter æterna non sit, sed ut per exaggerationem denotetur quam fugax sit denariorum possessio. Nam etiam dum perennem beatitudinem inuunt, non possunt a sua fugaci natura extui, nec aliter proponi, nisi sub brevi possessione unius dieculæ. Sic inconstantes ac volatiles sunt omnes pecunie, possessionesque terrenæ. Innocentius Papa III, in libris de Contemptu mundi, hunc textum Ecclesiastici, xi, 13: *Substantia injustorum sicut fluvius, adducit, ut bonorum hujus vitæ denotet fugacitatem, miramque eorum dispersionem: « Sicut fluvius siccabuntur, quia qui male congregat, cito dispergit.* Justum judicium, ut quæ de malo proveniant, ad malum perveniant, ne accedat ad bonum, quod non procedit ex bono. » Rapidus fluvius non solum aquas secum rapit, sed et omnia alia quæ undis ejus imponuntur, secum

ad mare precipitanter trahit. Eodem modo divitiæ injustæ acquisite ad perdicionem currunt et dissipantur. S. Chrysostomus, *Hom.* I, in *Psal.* XLVIII, ait: « Fluvialium undarum naturam divitiæ imitantur quæ simul ac videntur et labuntur, uno eodemque puncto temporis et tenentur et effluunt. » S. Ambrosius, in *Psal.* I: « Quid prosunt « innumere possessiones? Publica sunt, non tua. « Hodie tu tenes, eras alius. Cum tu exieris, alius « intrabit. Vix movisti pedem, alius gressus suos in- « tulit. »

f. — Christus Dominus sciens adeo auri amorem hominum animos rapere ac attrahere, non incongrue beatitudinem confert cum denario diurno, ut ad illam ardentius homines moverentur. Qui autem celestis hujus denarii pretium cogitat, terræ denarios facilius contemnet. Richardus de S. Victore nobilis illa doctrina est quod videlicet contemptus bonorum terrenorum in nobis augeatur juxta proportionem notitiæ quem de bonis celestibus habemus: « Quantum æterna cognoscimus, » inquit, « tantum transitoria despiciamus et damnamus. » Hæc est enim illa pretiosa margarita quam qui « invenit, quæ prius amaverat, libenter cuncta de- « relinquit. » S. Paulus ad Philippenses, III, 8, scribit: *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: ingens namque lumen notitiæ Christi sibi comparaverat, ac proinde omnia terræ hujus bona pro nihilo ducebat: Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora.* Quid mirum si Apostolus omnium illorum quæ mundus vel maximi facit, nauseam habeat et abominetur, cum ipse in tertium usque cælum raptus, stans in æterna Paradisi bona oculos immerserit, ac proinde illa cum caducis bonis terræ comparans, jure merito dixerit: *Omnia arbitror ut stercora?*

g. — Omnibus dabitur idem præmium; nam licet sicut alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, sic quoque alii habituri sint majorem gloriam, Deus tamen omnibus se totum communicabit; non aliter ac si sol se communicasset multis adamatibus, posuissetque se totum in quovis, omnes haberent totum in quovis, licet unus præ alio plus lucis haberet prout unus præ alio esset major vel minor, purior et præstantior; teste S. Augustino, *Serm.* xix, *de verbis Domini.* Quamvis meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet æqualis erit omnibus. Hanc eandem questionem movet Hugo de S. Victore. Si a magno illo patrefamilias omnibus in vinea laborantibus idem stipendium exsolvitur, quomodo inter laborantes inæqualitas esse poterit? « Si idem nummus omnibus dabitur, quomodo dispar claritas? Si par « gaudium erit, ergo gaudium Petri erit gaudium « Martini. » Tandem vero ad difficultatem hæc per

sequentem distinctionem respondet, dicens: « Aliud est gaudium experientiae, aliud voluntatis. At gaudium Petri remuneracionis est et experientiae; Martini vero non experientiae, sed affectus est: tantum enim placet illi bonum Petri, quantum ipsi Petro, non tamen in se sentit et experitur tantam beatitudinem, quam Petrus sentit. Tandem concludit probando, quod beatitudo in animabus glorificatis in quantitate differat, licet quoad qualitatem eadem sit; idque sequenti ostendit similitudine: « Velut ego de sanitate alienjus convalescentis ex infirmitate, tantum gaudeo, quantum ipse, affectu, etsi non experientia, quia sanitatem in me non sentio, quam ille experitur. »

VERSUS 3.

Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

Et egressus circa horam tertiam.

1. — Paulus de Palatio, in variis illis hujus patrisfamilias egressibus ingentem illius zelum et sollicitudinem, qua vineam suae culturae et operariorum laboribus et industriae promovendae intentus erat, observat; varii enim a Christo patiente in amarissima ejus passione egressus facti fuerunt: « Exiit Christus mane in pretorium; hora tertia ad Herodis palatium; hora sexta ad montem Calvarium; hora nona exiit spiritus e vita ad Iymbum; hora undecima corpus ejus in sepulchrum. »

2. — Cajetanus considerat quod, ex quo ad operarios sufficientes in vineam suam mittendos, toties egressus fuerit, inde clare colligere possumus, « sollicitudinem divinam habitam diversis temporibus congruis ad convertendum homines. » Enimvero quod hic paterfamilias operarios hosce non una tantum vice, sed diversis temporibus vocaverit, hoc ipsum « Ex differentia mentis eorum processit, » inquit Chrysostomus, « tunc enim eos vocavit, quando erant audituri. » Deus enim inspirationes suas tempore congruo immittit, tunc nimirum, quando ad illas prompte excipiendas et exequendas, bonam in nobis dispositionem conspicit. Quod si Deus illum, v. g. peccatorem, in medio voluptatum suarum excessu vocasset, repulsam utique passurus fuisset, ideo expectat eundem, donec in hanc vel illam capitalem infirmitatem incidit, vel donec in his vel illis angustiis, v. g. in periculo vitae, honoris et aestimationis positus fuerit, etc. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Psal. xv. 4.*

3. — S. Fulgentius ex hac parabola hanc deducit consequentiam, quod videlicet propter infinitam misericordiam divinam omnis aetas adaptetur ad penitentiam: « Si aliquam etatem judicaret Dominus, conversionis remedio ineptam, non diversis

temporibus operarios vocaret ad vineam; in diversis sitate quippe horarum non incongrue accipitur et etiam diversitas. »

Stantes.

4. — Dionysius Carthusianus ait: « Stantes, id est, rebus temporalibus inherentes, spiritualiter non proficientes. » Per hos autem Gentiles intelligit, quorum nonnullis Christus in propria persona, aliis vero, mediantibus Apostolis et discipulis predicavit.

5. — S. Thomas de Villanova, super exprobrationem Apostolis in die Ascensionis Salvatoris nostri ab Angelis factam scribens, ait: « Quid statis aspicientes, etc. Via colorum patet, janua caeli aperta est, quid ergo statis? Tanta vos gloria manet et statis? Tantum vobis premium repositum est et haereticis? »

6. — Tritum apud spiritualis vitae magistros proverbium est, quod, qui in via spiritus, ad majorem semper perfectionem non ascendit, sed cum illo statu, in quo est, contentus vivit, in periculo sit retrocedendi et deficienti. Unde Nazianzenus optime monet: « Cave, ne unquam in via virtutum subsistas; tibi enim, qui a vitiosa via excessisti, proinde esse puto, consistere, at si in immo vitii gurgitem laboreris. » Chrysostomus laudes, generibus Praecursoris datas exponens, Serm. xci, nimirum: *Incedentes in omnibus mandatis Domini*, ita ait: « Incedentes dixit, ut eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse. »

In foro.

7. — Origenes, in Gloss., ait: « Forum autem est, quicquid extra vineam est, id est, extra Ecclesiam Christi. » S. Hilarius nihilominus vocis forum mitiore expositionem adhibet: « Forum autem, » inquit, « pro saeculo accipi, res ipsa admonet, aequabiliter turbis hominum, calumniam injuriarumque contentionibus, ac diversorum negotiorum difficultatibus semper tumultuosus. »

Otiosos.

8. — Auctor Imperfecti, Hom. xxxiv, quinam illi otiose stantes fuerint, his verbis nobis explicat: « Otiosus sunt peccatores; otiosus est qui opus Dei non operatur. Vis ergo non esse otiosus? Non aliena follas et de tuis des, et operatus es in vinea Domini, misericordiae vitem colens. » Porro verisimile satis, quod, cum hi in foro stantes, operarii et viri agricolae fuerint, in foro steterint rerum suarum vel venditioni, vel emptioi totaliter intenti; imo ipsummet expectare ibidem ut conducerentur, ipsis non otium, sed negotium reputari debebat; cur igitur otiosi stetisse dicuntur? Nimirum ut hinc intelligatur, quod, qui negotiis saecularibus nimirum

immersus haeret, otiosus stare merito dicens sit; quia « Otiosus est, qui opus Dei non operatur. » Otiosus homo etiam strenue laborans, quando non praecipue pro animae et salutis aeternae requirendae beneficio, sed specialiter pro hac praesenti vita laboratur.

Additiones.

a. — *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.* D. Paschasius, lib. IX in *Matth.*, ait: « In foro quidem erant, et ideo extra vineam, id est, quia lucra mundi seclabantur. » Ideo dum in foro sunt, tales neque ad nuptias « Sponsi, neque in vineam Christi, temporalia tantum sectantes, venire et operari in ea possunt. » Erant homines isti in foro temporalibus humanisque negotiis intenti, et ideo extra Domini vineam degabant otiosi et vacui ab omni opere bono, cum nihil caeleste cogitarent. Certae et reprehensione digni, sicuti et reprehenduntur. Si experientiam capere velis an anima aliqua ad caelum possidendum a Deo electa sit, an vero sit praesentia et reprobata ad implendum infernum, considera ubi talis anima cor, affectum, linguam et propensiones suas inclinatatas habeat: *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur*, dicit Dominus, *Joa.*, iii, 31. Quod vidimus hodie homines qui oculos suos ne semel quidem ad caelum elevant, nec unquam de futura vita cogitant, sed *stauerunt oculos suos declinare in terram?* Veri Israelitae, qui filiorum Dei geminum characterem animabus suis impressum deferebant, etiam quo tempore sub servitute Babylonica ingemiscabant, corde et animo in Sion demorabantur, ac Hierosolymam civitatem sanctam continuo suspirabant: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur tui, Sion. Psal. cxxxvi, 1.* Illi proprie ad Hierosolymam caelestem tanquam futuri incolae ejus pertinere dignoscuntur; qui tametsi in hujus corrupti et depravati mundi Babyloniam detineantur captivi, desiderii tamen, affectibus et operationibus suis in caelo versantur. Ab oblivione caeli omne malum derivatur: « Ubi illius beatitudinis oblivio incidit, » inquit S. Thomas de Villanova, « et manus haeret, et lingua habuit; » illius quippe memoria et operi solertiam, et « verbo faciendam praestat. Qui enim praemii oblitus, lente movetur ad opus. »

b. — In variis illis egressibus patrisfamilias, ingentem illius zelum et sollicitudinem, qua vineae suae culturae et operariorum laboribus, et industriae promovendae intentus erat, observare possumus. Christus vero hic est paterfamilias; varii ejusdem faere egressus. Egressus est de caelo in uterum Virginis: de utero Virginis, in mundum. Sed quam amari fuerint egressus ejus in tempore passionis? « Exiit de conaculo ad montem Oliveti, etc. »

c. — Pulchre huic textui: *Vidit alios stantes*, applicari possunt illa verba, quae S. Thomas de

Villanova, super exprobrationem Apostolis, in die Ascensionis Salvatoris nostri, ab Angelis factam scribit: « *Quid statis, » inquit, « aspicientes? Via colorum patet; janua caeli aperta est; quid ergo statis? Tantum vobis premium repositum est et haereticis? » Ecce prudentiores sunt filii hujus saeculi filiis lucis, dum summa illa Christianorum negligentia in acquirendis bonis aeternis et salute assecuranda, per mundanorum in bonis terrenis concquirendis laborem et industriam condemnatur.*

d. — *Qui spernit modica, paulatim dedit, Eccl.* xix, 1; qui in via spiritus ad majorem semper perfectionem non ascendit, sed cum illo statu, in quo est semper contentus vivit, in periculo est retrocedendi et deficienti. Unde Nazianzenus optime monet: « Cave ne unquam in via virtutum subsistas; tibi enim qui a vitiosa via excessisti, perinde esse puto, consistere, ac si in imum vitii gurgitem laboreris. » Unde optimum consilium est, ut quilibet sibi persuadeat, quod in via Dei etiamnum incipiat, ut per favorem et progressum continuum in perfectione proficiat. Apud Ecclesiasticum, xviii, 6, sequens scribitur caeleste oraculum: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet; » id est, se in inchoatione reputabit, » ut Hugo Cardinalis ait, « et quasi nihil egerit, agere illa incipiet. Nescit mens per torporem viderescere, » quae semper studet per desiderium inchoare. » In libello quodam apophthegmatum ex Arabico a Druso translato, inter alias sententias haec quoque recensentur: « Homo sapiens, quamdiu querit « sapientiam: ubi autem putat se ad ejus culmen « pervenisse, desipit. » Nunquam fidendum est progressui in virtutibus acquisito, quia in continuo sumus totum lucrum perendi periculo; prout contigit Pharisaeo illi, qui de jejuniis, orationibus, elemosynis, aliisque operibus, caeterisque bonis, gloriabatur, ad summum se sanctitatis apicem pervenisse credens. Absit ut hunc sequamur. Quin potius S. Augustini salubri monito locum demus quo ait: Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuit, ibi remansisti. Si dixisti: sufficit, peristi.*

De parentibus S. Joannis, Evangelista inquit quod erant *incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini*. Ubi S. Chrysostomus notat vocem *incedentes*, et ait: « Incedentes dixit ut eos ostendat ret cucurrisse in virtutibus, non stetisse, et ambulasse in via justitiae, non sedisse; nec remansisse « in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem pervenisse. » Audiamus velim quemnam Regius Psalmista beatum esse existimavit; nimirum: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, inquit, ascensiones in corde suo disposuit. Avero quamnam sint haec ascensiones, quae servus Dei in corde suo disposuit, per quas tandem beatus evadit S. Hieronymus his verbis declarat: « Ille disposuit*

« ascensionem in corde suo, quicumque quotidie in priora extenditur, et praeceptorum obliviscetur, » secundum verba Apostoli: *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante me sunt extendo.*

e. — Auctor Imperfecti, quoniam hi otiosi stantes fuerint, his verbis nobis explicat: « Otiosi sunt peccatores. Otiosus est qui opus Dei non operatur. Vis ergo non esse otiosus? Non aliena tollas, et de tuis des et operatus es in vinea Domini, misericordiam vitæ colens. » Porro verisimile est satis, quod cum hi in foro stantes operarii et viri agricolæ fuerint, in foro steterint rerum suarum venditioni, vel emptioni totaliter intenti. Imo, ipsammet patremfamilias ibidem expectare, ut conducerentur, ipsis non otium, sed negotium reputari debebat; cur igitur otiosi stantes dicuntur? Nimirum ut hinc intelligatur, quod hi qui negotiis sæcularibus per affectum nimis immersus hæret, otiosus stare merito dicitur, quippe ab omni fructu cælestium honorum alienus est. S. Bernardus per naturalium affectuum experientiam probat illos, qui majori in hoc mundo prosperitate gaudent, honorum spiritualium majorem pati penuriam. Ita enim dicitur: « Propter abundantiam deliciarum deficient in bonis et proficiunt in malis multi. Defectum autem bonorum ipsa rerum natura ostendit. Nam ad matritatem non venit nimia fecunditas fructuum et pomorum; segetum etiam nimia pinguedine destruit. Hinc Psalmus lxxii, 16, ait: *Prodit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Jerem., v, 28, scriptum est: Impugnati sunt, dilati et præterierunt sermones meus pessime.* Luxuriant rebus secundis. Ex abundantia pluvie putrescunt blada. O quot opera carnalia ex abundantia deliciarum generantur! Et paulo post effectum quem in mundanis honorum temporalium abundantia operatur, his verbis demonstrat: « Fiunt homines animales ex deliciis multis, nec sensum habent virtutum, nec horrent aliquid vitium, nec alliciuntur premiis æternorum honorum, supplicia etiam non perhorrescunt infernorum. Deum non timeant, nec homines reverentur. Contemptores sunt omnium inspirationum, correctionum, prædicationum ac sermonum Dei. Insensibiles et despectores facti omnium donorum ejus. Ad tales ait Dominus, Jerem., xxi: *Locutus sum ad te in abundantia tua; dixit: Non audiam.* »

f. — S. Chrysostomus in Imperfecto, Hom. xxxiv, ait: « Istis scilicet vocatis hora tertia non facit pactum. Benignus enim paterfamilias sciebat largitatem suam quia tantum paratus est retribuere, quantum mercenarii recipere non sperabant. De dato enim ejus nemo jure murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat. » Nullus enim quantumvis in minimo Deo serviens, a maximis beneficiis ejus, etiam votum excedentibus

est immunis. Quinimo: *Pluit super justos et injustos.* B. Laurentius ad illa Christi verba se reflectens beneficis colorum et elementorum influxus communes esse dicit, adeo ut etiam participentur a rebellibus, et creatori suo contumacibus: « Quamvis, » inquit, « delinquas, graviter, quanquam in multis offendas frequenter, tametsi te voluntarie ab illo avertas, numquid suarum stillicidia gratiarum cohibet, ne pluant super te? Numquid solis, luna, stellarumque splendorem abscondit, et ut non super te luceant? Porro terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum poma producunt et, proh dolor! intelligere dissimulas a quo ista percipias? Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de celo imbrem opportuno num spargunt; dies diei, et nox succedit nocti, ut tibi cunctisque viventibus presentem gaudium, tribuant alimentum, levant fastidium, et sine sensu et absque gustu torpescis et jaces? »

VERSUS 4.

Itē et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis; illi autem abierunt.

1. — Advertendum hic est, quod cum primis de solvenda mercede pactum fuerit, *Conventione facta ex denario diurno;* his autem aliquis retributionis spem solum dedit: *Quod justum fuerit, dabo vobis;* cum ultimis denique remunerationis ne verbo quidem meminit. Quæ omnia mysteriis non vacant; primi namque illos denotant, qui a primis annis Dei se servitio consecrant, in eoque perseveranter laborant et portant pondus diei et æstus, hi arham quandam gloriæ habent: *Conventione facta;* alii vero, qui hora tertia, sexta et nona ad labores se receperunt, deum præfigurant, qui in progressu annorum ad Deum convertuntur et hi tantam salutis suæ securitatem non habent, quantum primi, sed pro ratione meritorum, retributionem accipiunt; ultimi vero sunt illi qui penitentiam pro peccatis suis agere ad finem usque vite suæ differant et procrastinant, qui de salute sua adeo incerti sunt, ut, quoad eos ne ulla quidem mercedis mentio fiat, sed totus salutis ipsorum eventus a misericordia et liberalitate divina dependet. Unde S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Primis præmium promissit, istis non; quia illis debebatur, quia mane servierunt ei; istis autem debetur ex sola misericordia. »

2. — Hisce vero, tametsi cæteris tardius ad labores se receperunt, paterfamilias nihilominus eandem mercedem dari jussit, quia in illa mercede præfiguratur Deus, de quo adimpletur id, quod Ecclesia in oratione quadam seu Collecta dicere solet: « Abundantia pietatis tuæ et merita supplicium cum excedis et vota. »

VERSUS 5.

Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similitur.

1. — Deus, qui scrutatur renes et corda, ad eorum nostrorum fores variis temporibus pulsare non cessat, et præcipue quando bona sese et opportuna offert occasio, dexteritas enim et valor optimi medici in eo præcipue consistit, quod medicinam congruo tempore adhibeat, sanguinemque eliceat. Ipse quidem Deus, omni hora, zelum pro salute nobis impertienda immensum exhibet, totus autem defectus ex parte nostra se tenet; quod videlicet vocationibus et auxiliis ipsis minime respondeamus. Unde S. Ambrosius, *Serm.*, in *Ps. cxviii*, ait: « Qui venit et januum persat, vult semper intrare, sed in nobis est, quod non semper ingrediatur, non semper maneat. »

VERSUS 6.

Circa undecimam vero exiit et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

1. — S. Anselmus, *ibid.*, dicit: « Circa undecimam vero, que est ab adventu Domini usque ad finem mundi, exiit ipse, id est, per se ipsum apparuit, qui per Prophetas et Angelos prius immotus; et invenit alios stantes, gentiles populos, scilicet a bono opere torpentes et dicit illis: *Quid hic statis?* etc. Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi toto die otiosi stabant. » Tametsi enim verum sit, ut S. Hilarius advertit, quod Deus soli populo Israel legem suam dederit, « voluntas tamen gentium non excludebatur a lege. »

2. — Inter cæteras porro valde considerabilis est S. Andreae vocatio, qui primus inter Apostolos ad ejus sequelam invitatus fuit. Enimvero S. Joannes, 1, 39, scribit, quod, dum hic Apostolus vocabatur: *Hora autem erat quasi decima;* cur etenim magnus ille paterfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, S. Andream ad Ecclesiam suam culturam adeo tarde vocavit? Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. II in Joan.*, ait: « Cur interposita est hora quasi decima, cum Jesus nostræ vocationis carpebat primitias? videlicet quia vocatorum salutem, non aliquod præcedens ejus meritum, sed sola vocantis operetur gratia; et in omnibus omnino ætas non discernit ac præjudicat. » Etenim quia prudentissimi hujus patrifamilias omnia verba valde notabilia sunt, seorsim illa breviter examinabimus.

Quid hic statis tota die otiosi?

3. — Valde se admirari ostendit, quod hi tali hora, positis ad cingulum, vel in sinu manibus, otiosi consistant. Nec immerito, quia ut Lucas Bru-

gensis, *ibid.*, dicit: « Creati sumus, non ut inutiles sine fructu vivamus, sed ut laboremus, nec nobis solis, sed imprimis Creatori. »

Hic.

4. — Hugo Cardinalis dicit: « Hic in loco tam periculoso, laborioso, suspicioso, lutoso. » Dionysius Carthusianus ait: « In isto exilio, in ista peregrinatione, ubi non habemus civitatem manentem. » Vel etiam dici potest, quod per hic intelligatur Ecclesia; quasi per hic reprehenderetur Christianus, quod qui sub crucis vexillo est descriptus, qui miles est in Ecclesia militante, otiosus tota die consistat. « Quid? cum habetis conductores, » inquit S. Bernardus, *Serm. II de Purific. B. V. M.*, « collaboratores, temporis opportunitatem, laboris suavitatem, mercedis salutaritatem? » Unde colligitur, quod si illi pigri et otiosi stertere viderentur, utique qui jam pro stipendio conducti erant, tales longe majori jure reprehendi commercuisse. « Cum arguantur otiositatis ipsi quoque, quos nemo conduxit, qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? *Fides quippe sine operibus mortua est.* »

Statis.

5. — Hugo Cardinalis ait: « Mandatorum Dei oblitus, rugitus bonis stupefacti, carnis illecebri contracti. *Tota die, id est, tota vita, otiosi, vobis nihil proficientes, proximis non subvenientes, Deo non servientes, hostibus non resistentes, penitentiam non agentes, in posterum non providentes.* »

6. — Auctor Imperfecti locum observat in quo reprehensi fuerunt, qui pigri et otiosi stabant, nimirum in foro et publica platea. Et ideo, *Hom. xxxiv*, dicit: « Prima lans est Christianorum, alieque num esse a foro, nullam causam habere cum illo. » Pergit insuper damna recensere, que ex hoc loco in nos resultant et utilitates, que ex labore in vineæ culturam collato nobis emergunt, nimirum a sæculi negotiis alienum et Dei servitio deditum omnino esse, ingens est beneficium anime: « Si enim in foro permanseris et quod habes perdes: si autem in vinea assiduis fueris et quod non habes, acquires. »

Additiones.

a. — *Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* Paterfamilias miratur quod hi tali hora otiosi consistant; homo enim natus est ad laborem. Eadem proportione, qua natura produxit aves, easque alis construxit ad volandum, homo pariter in lucem editus est in hanc vitam mortalem, ad laborandum: *Homo nascitur ad laborem*, inquit Job, et avis ad volandum. D. Chrysostomus, *Hom. xxxv in Act.*, in

qua pigritiæ et negligentiae detestationem fuisse exerit, de homine dicit: « Deus hoc animal condidit operationibus deditum, et ex natura ejus est operari, et præter naturam ejus esse otiosum. » Unde de S. Ecclesia, seu qualibet virtuosa anima dicitur, *Prov.*, xxxi, 27: *Panem otiosa non comedit, sed operata est consilio manuum suarum.* S. Basilius super caput I Isaie scribens, ut otium et pigritiam detestandam esse probet, inquit: « Quomodo enim non odio prosequendum est otium quod formica et api pejorem efficit hominem, qui utique initio suæ conditionis postus in Paradiso est, ut operaretur et custodiret eum? Primum igitur et maxime proprium humanæ conditionis studium est operatio, ita ut iners otium prope quod modo sit contra hominis naturam, id quod asserti Dominus odise. » S. Bernardus in sermone de obedientia quodam inquit: « Quomodo autem sit esse hominem, qui ad id non est paratus, et ad quod natus? Homo natus ad laborem. »

b. — Si tota die hi homines inertes otiosi sunt, quorsum illos mittit in vineam, ut eam excolant? Nisi forte in noctis tenebris operam agriculturioni navare debeant: in nocte autem perperam agriculturæ vacatur. Hæc est enim nox in qua nemo potest operari. Sed attentius exploremus quinam sunt hi operarii, et quomodo cum aliquo diei reslet, in quo possunt operari, otiosi tota die dicantur. Hugo Carensis sic commentatur: « *Quid hic statis, mandatorum Dei oblitii, carnis illecebris contracti?* » *Tota die*, id est, *tota vita otiosi*, vobis nihil proficcient, penitentiam non agentes, in posterum non prævidentes? » Hoc enim periculosum est, usque ad vitam ultimam, otiosum persistere et in peccatis, usque ad ultimum vite immersum hære. Propter damna inde emergentia. Qui enim putant in fine vite penitentiam agere, persepe decipiunt, ut impenitentes decedant et totum perdant.

Spiritus Sanctus, qui Ecclesiastici calamum direxit, inter alia salutaria monita, hoc quoque maximi momenti, summæque utilitatis, de non procrastinanda penitentia pronuntiavit effatum: *Non tardes converti ad Dominum*, quia major pars hominum, in hunc scapulum impingens, in æternæ beatitudinis abyssum usque naufragatur. Quia licet, ut S. Augustinus, *Serm. lviij de temp.*, ait: « Ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut Paler pessimus consolatur, dicens: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et illud: *Impietas impij non nocet ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua;* ista tamen tam magna misericordia tunc nobis prædest, cum non tardamus converti ad Dominum. » Speciale Dei donum est quod non omnibus datur, scilicet in fine vite vocari. Sed hoc tantum datur illis, non qui in vita sua in peccato perseverare decreverunt, sed iis qui ex propria

fragilitate, non per malitiam, nec per voluntatem, sed per propriam negligentiam, male vixerunt, sine efficacibus ad conversionem suam perceptis impulsibus. Hi enim minus culpabiles sunt, ac proinde hujus voti capaces existunt. « Qui in hac peregrinatione, vitam corrigere inceperit, sed a morte intercepit, correctionem consummare non potuerit, nequaquam peribit, utpote in quo fundamentum charitatis Dei permanserit. » Hæc sunt Blossii verba. Consideratione est ad hoc propositum maxime dignum, a S. Cæsareo Arelatensi traditum monitum, in quo dicit: « Si quis templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet; sed cito de malo iniquitatis suæ resurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis sepeliat. Non enim qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis et abominabilis Deo erit. »

c. — Notandum hic quod si bonis paterfamilias arguit quos nondum conduxerat, nec in vineam suam adhuc intraverant, dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* quam ergo asperius et rigidius non reprehenduntur illi qui jam conducti, et in vinea Domini, et Ecclesia multis beneficiis crummati, otiosi inventiuntur, nullam gratitudinis fructum afferentes. Apostolus, ad Romanos, ii, 4, 5, scribit: *An divitiis bonitatis ejus et patientiæ, et longanimitatis contentis? Secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram.* Quibus verbis docet, quod juxta liberalissimæ et benignissimæ Dei erga nos beneficentiam proportionem, severissimum pariter expectari simus supplicium, si ingrati fuerimus, dictisque abusi bonis. Ideoque dicit: *Secundum duritiam tuam, etc.* Quam veritatem Auctor Imperfecti Operis his verbis expressit: « Quanto majora beneficia hominibus sunt constituta, tanto majora peccantibus judicia sunt preparata. » Quemadmodum damno suo ille decem millium talentorum debitor, juxta parabolam Evangelicam didicisti: in quo peccatorem ingratum designari astruit Salmeron dicens: « Significatur insignis et ingratus peccator, quasi millies transgressus sit decem præcepta Dei. » Circa hunc vero Deus compassivam pietatem suam benigne exercet, immensum debitum ei remittendo, et condonando; at vero in penam ingratitude suæ hoc debitum de novo resurgit, suppliciumque affert eum longe prius atrocius: *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quosque redderet universum debitum.* Quia Capharnaum ex beneficiis receptis fructum non tulerat, merito et contra hanc sibi datam injuriam exclamavit Christus: *Et tu Capharnaum, nunquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi.* *Marc.*, xi, 23.

d. — Vidit sollicitus paterfamilias, circa horam undecimam, jam cum dies multum profecisset alios stantes otiosos. Non potuit profecto sibi temperare, quin eos non increparet, cum tamen alios qui vocati sunt hora tertia, sexta et nona, quamvis etiam inventi fuissent otiosi, non increparit. Ratio hujus est, quod hi, qui ad summum et perfectum diem in publico otiosi inveniebantur, per malum otii exemplum scandalosi notabantur ac propterea statim ac publice erant reprehendendi; simulque Scriptura sacra scateat penis et supplicis scandalum dantibus comminatis. Ex ipsa sola, quam Salvator noster, cæteroque mihi et benignus, pena scandalosis imponit, facile argui potest quanta sit scandalum gravitas. Dicit enim, *Matth.*, xiii, 6: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria collo ejus et demergatur in profundum maris.* Sine dubio melior foret conditio ejus si perderet vitam corporalem quam si, per malum exemplum, vitam spirituales et sibi, et proximis eriperet, quæ nullam cum salute proportionem habet.

e. — Paterfamilias quos invenit otiosos circa undecimam horam increpavit vel incorrigibiles et malo inveteratos. Is enim qui incorrigibilis est, cujusque peccatum non solum illi, sed et toti republicæ est perniciosum, publice est reprehendus et apud superiores accusandus. Sententia a S. Augustino dictata est, quod quanto quis incorrigibilior est, tanto ejus repressio et correctio debeat esse vehementior. « At quicumque corripit non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripit non vis. » Sunt autem due correptiones, inquit Albertus Magnus, « una quidem auctoritatis, altera vero charitatis. Illa quæ est auctoritatis semper est cum solemnitate et severitate judicii, et hæc est solius Prælati, ad quem tunc recurrendum est, dum quis incorrigibilis efficitur. »

f. — Valde mirandum est multis in fidelibus tam magnum reperiri otium, etiam per totius vite cursum, maxime cum sciant magnitudinem illius præmii quod Deus stabilit et convenit se daturum laborantibus. Dicit enim cuicumque fidei operario: *Intra in gaudium Domini tui.* Beatitudo Dei ipsius denarius est promissus. Cajetanus ait: « Tam magnum est gaudium celestis patriæ de Deo, ut non possit concludi in homine, et inde homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, et non intrat in gaudium in hominem velut comprehensum ab homine. » Anima etenim revelata facie vultum illum intuebitur qui Paradisum lætificat et electos beatos efficit. Unde S. Augustinus dicit: « Hæc est plena beatitudo et illa gloriatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum qui fecit cælum et terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. »

g. — S. Thomas de Villanova hæc verba ponderans: *Quid hic statis tota die otiosi*, pulchre dicit, verbum *Hic* expendens: « *Hic* ubi acquirenda est felicitas; hic ubi paranda corona; hic ubi lucranda stipendium; hic ubi tantum anime periculum; hic non ad horam, sed tota die otiosi perditis vitam, consumitis tempus pretiosum. » Magna enim reprehensione digni sunt qui inutiliter tempus consumunt, de quo aliquando rigorosa reddenda erit ratio. Et notandum quia hos increpat et non alios, qui maximam partem diei inutiliter expendunt, ut ait Abulensis, *quæst.* xv. Primos enim non increpavit, et nihil aliud in eis arguit, nisi otiositatem. Hæc enim est fomentum et incentivum tentationum, pravarumque et obscenarum cogitationum, mater et origo omnium vitiorum et malorum. Time ergo otio te tradere, o Christiane, et sine fructu transigere tempus, ne de paterfamilias contubernio in tenebras exteriores ejiciaris. Signum enim reprobatonis evidens est, sine fructu transigere tempus, quod ipsa hora et puncto mortis tue coram Deo te accusabit.

h. — Si tota die pene transacta erat otiose et inutiliter, cur tandem mittuntur in vineam, quando brevissimum laborandi spatium restat? Insuper et mittuntur nulla conditio mercede, nihil enim illis, ut cæteris promittit? An quia in tantis temporis angustiis impossibile erat ut possint aliquam mercedem acquirere? Absit. Quinimo nulla mercede nova mentio facta est cum illis, ut sciant primam diurni laboris mercedem omnibus esse propositam, tam his qui multum quam his qui parvum laborandi spatium habent, ut quilibet possit in brevi recompensare plures annos inutiliter amissos. Scite Origenes, *Hom. x in Matth.*, dicit: « Poterant æquale opus in vinea facere eis, qui ex mane sunt operati, quicumque in tempore brevi volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata. » In quo adimplebant consilium Apostoli, *Ephes.*, v: *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* Hoc enim vere est redimere tempus. Cum ultima diei hora esset, seseque in angustiis constitutos conspiciunt, serio operi incumbunt, ne de residuo tempore, vel minimum quid deperdat. Et ita quidem, ut inde invidiam sibi conciliare possent. Quo modo nobilem methodum ostendunt, qua tempus conserves, et cum tuo emolumento expendas, illudque tum facias.

i. — Nimis periculosum est tota die, id est, usque ad ultimam vite horam, otiosum persistere et in peccatis immersum hære. Qui enim putant in fine vite penitentiam agere, persepe decipiunt, ut impenitentes decedant et totum perdant. Nam ipsa opera, quæ circa extremum vite tempus fiunt, apparenter quidem proficua esse videntur, sed in